This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

681
.L77


1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

QB
681
.L77

LIS
ASTRONOMORUM
DE
NOMINE
QUO
PLANETA RECENS ANNO 1781 DIE 13 MARTII
AQUIS SOLIS (BATHE) IN ANGLIA
A
D. HERSCHEL
OPTICO CELEBERRIMO DETECTUS,
APPELLANDUS SIT.
CARMEN
AB
URANOPHILO.

VIENNÆ,
TYPIS JOAN. THOM. NOB. DE TRATTNERN,
CÆS. REG. AVLÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.
1786.

CARMEN.

LIS

ASTRONOMORUM DE NOMINE,

QUO

APPELLANDUS SIT NOVUS PLANETA.

* * *

ASTRONOMI certant, et adhuc ſub Judice Lis eſt,
  Qua ſit ſignandus Voce Planeta novus.
Eſt HERSCHEL Gallis, CYBELE ve: GEORGIUS Anglis:
  URANUS aſt Bruſſis: URANIA Auſtriacis.
HERSCHEL: ut a Gallis dicatur, LANDIUS (1) optat;
  Optata Eventu, ſed caritura reor:
Herbarum Gnaris hic Mos eſt: Nomen, ut ejus,
  Qui prior invenit, Planta reperta ferat.
Aſtronomis, ſi Mos foret hic ſignare Planetas,
  Atque ea, quæ numerant Aſtra reperta recens,
O! Superi! quænam foret hæc Confuſio Vocum!
  Unius Nomen ſingula ſi referant!
Ter tria cum binis, quæ dicimus *Aſtra Comata*
  Unus detexit MESSIER Aſtronomus.
Ter centum numerat *nebuloſa* HERSCHELIUS *Aſtra*
  Millia tum quatuor *lucida Puncta* (2) nova

)(2 An-

---

(1) D. *de la Lande* celeberrimus Galliæ Aſtronomus.

(2) *Lucida Puncta:* id eſt, Stellas teleſcopicas, quæ per Tubos optimos inſtar minimorum Punctorum *lucidorum* conſpiciuntur.

Anne probet quisquam? MESSIER: vocitare *Cometas*
Undenos? HERSCHEL: millia Puncta nova?
Sit procul hoc Nomen: non eſt imitabilis hic Mos
Aſtronomis: non eſt Planta Planeta novus.
Nominis HERSCHELII Famam celebrare per Aſtrum
Aſtronomis notum: non Opus eſſe puto.
HERSCHELIUS vivet dum Tellus, dum Aſtra manebunt,
NEWTONO ſuppar, (3) nec minor Arte ſua (4).

* * *

POINSINET aſt alter (5) CYBELEN vult dicier Aſtrum,
Aſtronomis ſueto Nomine mythologo.
Namque Dea eſt Cœli CYBELE, Materque Deorum:
At tamen Aſtronomis non placitura Dea eſt.
Telluri hoc Nomen noſtræ, quam mobile Corpus
Aſtra inter cenſent, (6) aptius eſſe putant.

* * *

HERSCHELIO, clariſque Viris, quos Anglia cenſet,
Nomina Regnantum, qui celebrata volunt,

His-

---

(3) *Suppar* Famæ, et Nominis Perennitate, non Ingenio, aut Scientia.

(4) *Arte ſua*, ſcilicet optica, qua ad incredibilem Perfectionem Tubos newtonianos evexit.

(5) Alter Galliæ Aſtronomus. —

(6) In Syſtemate Copernici ab Aſtronomis jam adoptato, *Tellus* inter Planetas circum Solem mobilis, & tanquam Aſtrum fulgens habetur. —

Hiſce GEORGIUS eſt Nomen, ſignare Planetam,
Quo cupiunt; ſit Rex, Duxque Planeta novus.
Anglorum Rex, Duxque GEORGIUS Hanoveranus
Scilicet hoc hodie Nomine TERTIUS eſt.
Convenit: ut Sidus, Rege hoc regnante, repertum
BATHENIS, (7) Regis Nomine ſit celebre.
Nec Ducis inſuetum eſt, aut ſacro Nomine Regis,
Sidera viſa recens dicier Aſtronomis.
Sic GALILAEUS ovans jovialia Sidera primus
Dum vidit, dixit: ſint *Medicæa* volo.
Sidera ſic FLAMSTEED *Caroli Cor* dixerat olim
Nonnulla, et *Robur* ſic *Caroli* HALLEIUS.
Id licet Aſtronomis, ſi conglomerata (8) notentur,
Principis, aut Regis Sidera Nominibus.
At tamen inſuetum eſt, *unum* vocitare Planetam,
Quum reliqui referant Nomina mythologa;
Nomina quapropter: CYBELE, atque GEORGIUS: HERSCHEL:
Auguror, Aſtronomis non placitura Viris.

* * *

Scriptor Ephemeridum, quas Urbs Berlinia prodit,
BODIUS Aſtronomus, Nomen et ipſe dedit.

)(3 URA-

---

(7) *Bathenis* ſeu Aquis Solis, anglice: *Bathe*, Urbecula ab Aquis calidis celebris, in Diſtrictu Angliæ *Sommerſet* dicto, ſita. —
(8) *Conglomerata Sidera*, dicuntur *Conſtellationes*, ſeu Congeries plurium Fixarum in unam Configurationem ordinatarum: ut ſunt: *Cor Caroli*: *Robur Caroli*: *Scutum Sobieſkianum*: et recens *Taurus Poniatowskianus*.

URANUS: huic, ait, eſt Nomen; non aptius ullum eſt,
Cognita, quæ mihi ſunt Nomina mythologa.
URANUS, eſt Genitor Saturni, tum Jovis almi,
Totum, quod Cœlum dicimus, ȣ̓ρανοσ eſt.
URANUS: ut Deus eſt ſummus, primusque Deorum
Sic ſummo eſt gyrans Orbe Planeta novus.
URANUS ergo ſit Nomen: ſic BODIUS Autor
vult: ſic BRUSSI: ſic RUDIGER (9) Aſtronomi.

* * *

HELLIUS Auſtriacus Vocum certamina cernens,
Pax, ait, Aſtronomis: eligite *Uraniam*.
URANUS, eſt COELUM, non Pars, aut Incola Cœli,
Non Cœlum eſt, ſed Pars iſte Planeta novus.
ȣ̓ρανος eſt Græcis *Cælum*, *Caleſtis* et audit
ȣ̓ρανιη Grajis; URANIA, at Latiis.
Celeſte eſt Corpus, de cujus Nomine Lis eſt,
Apta ſignetur Voce Planeta novus.
Eligite URANIAM, non eſt Vox aptior ulla,
Cæleſtis Vox eſt: eligite URANIAM.
Aſtrorum eſt PRAESES: tum PRAESES et Aſtronomorum:
Sic decet hanc ſummum Jure tenere Locum.

URA-

---

(9) D. *Rudiger* hunc etiam appellat *Cœlus*, quod Nomen ipſi aptius videtur, quam *Uranus* græcum, utitur Voce *Cœlus* Generis maſculini, Loco *Cœlum* neutrius, ejusdem tamen eſt Significationis; nam *Cœlus* mythologicum Nomen, Univerſum hoc, quod *Cœlum* appellamus, indicat, a quo Saturnum genitum fingunt Mythologi.

URANUS: eſt *Divum* Pater: eſt *Divum* ergo ſupremus
PRAESES: at Aſtra inter ſumma ſit URANIE.
URANUS: eſt *Genitor Saturni*, *tùm Jovis almi*;
URANIE et *Diva* eſt, Nataque chara JOVIS.
Mythologum eſt Nomen: jam Muſa eſt Præſide Phœbo,
Præſide ſit *Phœbo Sole* Planeta novus.
Ut Muſas Phœbus, ſic dirigit ille Planetas,
Præſide *his* Phœbo gaudeat URANIE.
URANIE *Cœli Motus ſcrutatur et Aſtra*:
URANIÆ hoc Munus nos docet AUSONIUS (10)
URANIAE SEXTANS (11) nonne eſt ſuper Aſtra locatus?
Quo Cœli Motus terminat URANIE.
Convenit: URANIAM Sextanti reddere, et Aſtris,
Namque ubi ſtat SEXTANS: adſit et URANIE.

* * *

At, MAS ſit ſummus Præſes, non FOEMINA Cœli!
URANON, URANIE jure præire decet.

* * *

Dicite, qui Sidus ſpectaſtis, dicite, quæſo,
Quam Formam referat? Numne Dei, ? anne Deæ?

)(4 *Vir-*

---

(10) *Auſonius* Munia novem Muſarum eleganti Carmine deſcribens.

(11) *Sextans Uraniæ:* Conſtellatio in Mappis aſtronomicis reperitur infra Leonem, & ſupra Hydram inter media; eſt autem *Sextans* Inſtrumentum aſtronomicum, Partem ſextam Circuli complectens, quo ad Coeleſtia dimetienda utuntur Aſtronomi.

Virginea eſt Facies, non *maſcula*, fœmineasque
Dotes præ ſe fert: hæc DEA, non DEUS eſt.
Caſtæ Virginis eſt: *oculos fugitare Virorum;*
Conſpectum noſtrum nonne Planeta fugit?
Vix *nudis Oculis* (12) ſpectandum ſe exhibet Aſtrum,
Felix, qui *armatis* id videt Aſtronomus!
Nec mirum! Corpus tantillum eſt Sideris, ut vix
Sextæ quis Claſſi hoc adnumerare queat.
An non hæc Ratio eſt: nudos ab Origine Mundi,
Cur Oculos Aſtrum fugerit usque novum?
Pieris URANIE nonne eſt caſtiſſima Muſa, ?
Pieridumque novem Gloria prima Chori?
Virgineam URANIE Dotem cum poſſidet Aſtrum,
URANIE Nomen, quis neget eſſe decens?
Altera virgineæ Dos eſt non ultima Formæ,
Grata ſit ut Facies, atque *modeſta* ſimul.
Claro equidem (fateor) ſed *grato* lumine fulget
Aſtrum, tranquilla eſt Lux, & amœna Oculis.
Non Martis, feriens Oculos, Veneris-ve, procacis
Sideris eſt Lux, ſed mitis, amica, nitens.

Quis

---

(12) *Nudis Oculis* ſpectari Aſtra dicuntur, ſine Tubis opticis, *armatis* contra *Oculis*, per Tubos Oculis applicatos; Aſtrum hoc quidem Oculis non armatis videri poteſt, ſed rariſſime, & non niſi ab iis, qui acutiſſima Oculorum Acie præditi ſunt, & Coelo prorſus ſudiſſimo, utpote, tanquam Fixa $6^{tæ}$ vel $7^{mæ}$ Magnitudinis apparens.

Quis neſcit? Lucis quoque ſpectaviſſe Colorem,
Nomina Sideribus, qui poſuere vagis?
Rufa ferum Martem: Venerem nitidiſſima: tumque
Pallida Saturnum: Lux notat alba Jovem.
Cui placet inventi Lucem ſpectare Planetæ,
URANON, URANIÆ poſthabuiſſe volet.
Dos quoque virginea eſt, Greſſus *gravis* & *moderatus*,
Non graditur celeri Virgo pudica Pede.
Quam lento Motu, Greſſuque Planeta feratur,
Dicere non opus eſt, novimus Aſtronomi.
Fœmineas Dotes noſtrum cum præferat Aſtrum,
Anne Planeta DIIS adnumerandus erit?
Arbitror: hæc etiam ſacrum ſuadentia Nomen
URANIAE NOSTRAE, Pondus habere ſuum.
Septenos (noſtis) numeravimus usque Planetas,
Octonos nobis jam numerare licet:
Sunt Marium Generis quatuor, tres fœmineique (13)
Impar eſt Sexus, congruit eſſe parem.
Sique parem cupitis *cœleſtem* (14) reddere Sexum,
URANUS eſto procul, ſit Locus URANIÆ.
Sed ſatis hæc (inquit) quæ ſit Sententia dixi,
Optata Auſtriadum, quæque probanda putant.
Non noſtrum eſt motas *Vocum* componere Lites,
Sit Vota Auſtriadum candida noſſe ſatis.

(13) In Syſtemate Copernici ab Aſtronomis adoptato, *maſcula* ſunt: ♄, ♃, ♂, ☿, *fæminea:* ♁, ♀, ☽, & jam ⛢.
(14) *Cœleſtem Sexum*, id eſt, Allegoricum, translatum, & Poëticum.

PERIOCHA
HIEROGLYPHI.

⛢

Dati ab HELLIO Planetæ novo, cui Nomen tribuit URANIE in ſuis Ephemeridibus aſtron. ad annum 1787.

* * *

HELLIUS Aſtronomis dicat hoc ⛢ Hieroglyphon: Uſum
  Optat præ reliquis, non bene propoſitis. (*)
Circulus ○ Aſtronomis Signum eſt commune *Planetæ*,
  At Stellæ ✳ Signo, *Sidera fixa* notant.
Cur igitur Signum *Contraria* jungit in unum?
  Eſtne Planeta novus, *Fixa*, *Planeta* ſimul?
Currere, *ſtare* ſimul, pugnant: ſed divide tempus,
  Hic modo, qui currit, *credita* Fixa fuit.

Sci-

(*) Hieroglyphon Gallorum eſt : prima Littera Nominis *Herſchel* cum oppenſo Circello, Signo communi Planetarum. — Hieroglyphon cel. D. *Bode* eſt Signum Martis Planetæ ſolo *Puncto intermedio* diſtinctum.

Scilicet; hoc Aſtrum fixa inter Sidera MAYER (*)
Cenſuit, & FLAMSTEED Aſtronomi celebres.
HERSCHELIUS primus docuit nos, eſſe Planetam,
Signum hoc ⛢ URANIÆ ſic bene Fata docet.

ASTRONOMIA
AD
CHEMIAM
DE EODEM HIEROGLYPHO.

⛢

tribuendo novo Metallo PLATINA dicto.

* * *

Sumere ab Aſtronomis tua Signa *Ars Chemica* ſueta es,
More Planetarum *vera* (**) Metalla notas.

Sic

(*) Celeberrimus *Tobias Mayer* Aſtronomus Göttingenſis, & ante ipſum Cel. *Flamſteed* Aſtronomus Angliæ in ſuis Catalogis Fixarum referunt Fixam ſextæ Magnitudinis, quæ hodie id Loci in Coelo non reperitur, factisque Calculis compertum eſt, novum Planetam id Temporis omnino eo Loco verſatum fuiſſe, quo eum celebres hi Aſtronomi, *pro Fixa habitum*, obſervarunt. Propoſitum ergo Hieroglyphon ⛢ explicat, & quaſi in Imagine exhibet: Aſtrum hoc e *credita Claſſe* Fixarum, in Ordinem Planetarum, *Herſchelio* obſervante, evectum.

(**) *Vera* metalla, ad diſtinctionem *Semimetallorum*.